

UM  
RUM  
E  
EINZIA  
UM







DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

*Disquisitio Vicesima Octava*

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis

Rectore

*Respondente*

ADAMO GLÄSELIO.

Adorfenfis Varifco

*Dominica Vocem Fucunditatis*

A. O. R. cl. Id. III.



HALLIS SAXONUM

*Prælo Hæredum Melchioris Oel-  
schlegely*

*In. C.*



DIVITIARUM  
EVANGELICARUM

Disquisitione Nestoris Ostror.

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnasii Hallensis

Rectore

Respondente

ADAMO GLÄSSELIO.

Abolenti Vindicta

Dominicae Nocturni Incurritur

M. D. C. C. C. C. C.



HALLÆ SAXONIÆ

Tricharchem Melchioris Oel-

schlegel





ANALYSIS  
 EVANGELII  
 DOMINICA ROGATIONIS

Joh. 16. à v. 25. usq. ad 30.

Προαύλιον.



**P**salms est, quod dicit ita-  
 vit Spiritus Sanctus, effatum  
 Psalm. 50. 15. Invoca me in die  
 tribulationis & eripiam te &  
 glorificabis me. Habetur hic mandatum, dum  
 jubetur unusquisq. potissimum variis afflicti-  
 onibus mactatus, ut invocet. 2. Continetur  
 etiam substratum s. objectum, quis debeat in-  
 vocari? nempe se vult DEVS, & non alium;  
 adhibetur 3. etiam enumeratio commoditatū,  
 dum promittit liberationem, & sic expetit in-  
 vocationem, Idq. ostenditur in Evangelio.

Ccc

Theps



## THESIS I.

**I**N quo primum est Christi ad orandum exhortatio, & exauditionis stipulatio v. 23. ubi præponitur *tum* circumstantia, consistens in Epizeutica juramenti formula: Amen, Amen. ut fidem promissioni conciliet, non quidem ratione sui, quia ipse est ipsa veritas Job. 14, 2, 6. sed ratione nostri, ut omnem de promissione dubitationem animis nostris excludat Ebr. 6, 17. Et quamvis in aliis Evangelistis Amen multipliciter inveniatur, à solo tamen Johanne Amen congemnatur, ut eò facilius nostris possit imprimi pectoribus. Quo sese disjungere voluit tum à Pharisæis, qui jurabant per cælum, per terram, per Hierosolimam, per templum & per alia Marc. 6, 34. Matth. 23, 16. tum à gentibus, quæ jurabant per octo nomina, ignem, aquam, terram, cælum, lunam, solem, Phanem & noctem, uti habet Alex. lib. 5. c. 10. Vt discamus 1. jurare non esse illicitum, nisi quis temerariè juret, & quidem non tantum propter Dei gloriam, sed etiam proximi innocentiam, quia juramentum est omnis controversiæ finis Ebr. 6, 16. Simulq; ut notemus, 2. orandum esse ex fide sine dubitatione 1. Tim. 2, 8. Jacob. 1, 6.

2. Tum



2. Tum persona, includens tum effectum: dico. Nempè Christus: ut qui optimè novit, tanquam  $\kappa\alpha\pi\omicron\lambda\omicron\gamma\upsilon\omega\varsigma\eta\varsigma$  quid dicendum, quid faciendum. Cum enim antea varias discipulis suis tribulationes prædixisset, postmodum arma monstrat & præsidia, quibus possint sese contra has munire.

3. Tum objectum: vobis. Hoc est Apostolis: & in persona eorum omnibus verè fidelibus. Ut discamus promissionem pertinere ad eos omnes, qui orant, sive pro se, sive pro aliis. Siquidem, quod habet Chrylost. Homil. 3. bonum est sanctorum oratione frui, sed cum & nos sumus cooperatores. Quod si autem nobis nihil aliorum prodest auxilium, verùm & cum illis perimus, illud fit ut plurimum, cum non quoq; cooperamur.

4. Et exponitur, quoad antecedens. Tum actus, qui continet materiam: quæcunq;. Ita Christus loquitur universaliter, quemadmodum & in aliis dictis Marc. 18, 19. Matth. 21, 22. Marc. 11, 24. quæ tamen non simpliciter est absoluta universalitas, sed certi generis 1. ex Johannis declaratione 1. Joh. 5, 14. si ad voluntatem ejus petierimus, 2. ex variorum exemplorum inductione, dum multi petunt, quæ voluntati divina adversa, ut sunt.



concupiscentia Gal. 5, 24. sed qua sunt directa ad gloriam Dei, vel ad proximi salutem. Es deniq; 3. ex collatione, quatenus sunt possibilis Marc. 9, 23. quia, quod habet Damasc. lib. 3. Orthodoxæ fidei c. 24. oratio est decentium à Deo petitio. Inter quæ etiam sunt bona corporalia, cum ipse decuit nos panem quotidianum precibus flagitare, modo fiat cum conditione, uti monet August. serm. 53. de verbis Domini: quando temporalia petitis, cum modo petite, cum timore petite, illi committite, ut si profint dei, si non profint, non det. Quid autem proficit agroti medicus novit, non agrotus. Etiam ordo observandus ut spiritualia potissimum petantur, quod monet Savanarola in Ps. 51. Dum, inquit, injuriam magnam Deo facit qui parva petit, parva autem sunt omnia temporalia, magna verò spiritualia præsertim Christus. Ideoq; non omne intelligitur, sed aliquid, quod in beata vita comparatione non sit nihil. Quicquid enim aliud petitur quam beata vita, habet August. tract. 102. in Joh. nihil petitur. Non quia omninò nulla res est, sed quia in tante rei comparatione, quicquid aliud concupiscitur nihil est, dum cætera ad eam referuntur. Quemadmodum etiam monet Bernh. lib. 5. quadragesimæ,



5. *Et Formam: Petieritis. Et intelliguntur illi ad quos loquitur Christus, h. e. probi discipuli, ut excludantur pagani, quorum oratio peccatum Ps. 109, 1. hypocrita v. 7. & impenitentes Job. 9, 31.*

6. *Tum requisita, qua continent modum, & est partim objectum: Patrem: Syrus addit per  $\alpha\upsilon\gamma\iota\omega\nu$  Patrem meum. Denotatur verò verus Deus, qui per patrem intelligitur, non  $\tau\omega\varsigma\alpha\lambda\eta\lambda\iota\omega\varsigma$ , sed  $\gamma\omega\tau\omega\delta\omega\varsigma$ . Ut ostendatur quo preces nostra debeant esse directæ, nempe ad Deum, qui solus est omniscius, omnipotens, omniprensens, & cui soli hic cultus debetur. Principium enim nostra orationis dulci paterno nomine sequentium petitionum obtinendarum prebet fiduciam, ait Bernhard. serm. 15. in Joh. Ergo attollas oculos, ait Augustin. serm. 28. de verbis Domini, ad patrem qui per lavacrum te genuit, ad patrem qui per filium te redemit.*

7. *Partim medium: in nomine meo. Hoc est fiducia meritorum & intercessionis Christi: ut, habet Cyrillus lib. II. c. 7. in Joh. mediatorem & collargitorem se ostendat, quia Christus unicus est mediator Dei & hominum 1. Tim. 2, 4. est unicum propitiatorium Rom. 5, 15. Alias enim non patet nobis adius*



ad Deum, nisi per hunc. Atq; ita omnes pro-  
ces respiciunt Christum, quoties vel propter  
misericordiam petitur, vel propter veritatem,  
dum non aliud sub coelo nomen datum Act. 4,  
12. Quin oratio qua non fit per Christum,  
habet Aug. in Pl. 58. non solum non potest de-  
lere peccatum, sed etiam ipsa fit peccatum.

8. Quoad consequens effectum: da-  
bit vobis. Non quidem statim semper, sed  
quandocunq; ipsi placuerit. Interdum qui-  
dem ante precum suspirium Esa. 65, 4. Atta-  
men etiam differtur, quemadmodum Beda  
docet, dum inquit: quotiescunq; petentes non  
exaudimur, ideo fit quia 1. vel contra auxiliū  
nostre salutis petimus, ac propterea misericor-  
diam pater beneficij gratia, quod nobis ineptē  
petimus, denegat, uti monet Paulus 2, Cor.  
10, 9. 2. Vel utilia quidem petimus, sed ipsi  
malē vivendo auditum justī iudicis averti-  
mus, uti Salomo monet Prov. 28, 9. 3. Vel  
dum pro peccantibus quidem ut resipiscant,  
intercedimus, & licet salutariter petamus,  
ipsorum tamen perversitas, ne impetremus,  
obstitit. Interim nequaquam fructu preces  
nostre privantur, sancti enim salutem ater-  
nam respiciunt ipsamq; desiderant, & secun-  
dum hanc etiam semper exaudiuntur, inquit  
August.



August. tract. 6. in Joh. Invenimus quidem quosdam non exauditos ad voluntatem, exauditos tamen scimus ad salutem. Et non habeatis, habet idem, pro magno exaudiri ad voluntatem, habete pro magno exaudiri ad utilitatem. Quin ab quàm beati essemus omnes, si quàm promptum erga nos audientiam Dei legimus, tam promptè ipsum Deum audire vellemus, ait Salvianus lib. 2. de gubernatione Dei. Aliàs si vult quispiam scire quid inter precandum in templo sæpè homines cogitaverint, monet idem lib. 3., videat quid sequatur, siquidem consummatis solennibus sacris statim omnes ad consuetudinaria studia discurrunt: alij scilicet ut furentur, alij ut inebrientur, alij ut fornicentur, alij ut latrocinentur: ut evidenter appareat, hoc eos meditados dum intra templum sunt, quod postquam egressi fuerint, exsequuntur. Audiunt quidem interdum verbum Evangelij, dum intra templum sunt, quod, postquam egressi fuerint, obliviscuntur. Cum igitur à nobis nil penitus devotè peragatur, quid est quod nos queramus de Deo, cum Deus magis de nobis omnibus conqueri possit? qua ratio est, ut doleamus, nos non audiri à Deo? cum ipsi Deum non audiamus; & susurremus non



respici à Deo ad terras, cum ipsi non respiciamur  
ad cœlum. Et justum est despici à Domino  
preces nostras, cum precepta eius despiciantur  
à nobis. Ergo dat, non omnibus, verum, inquit,  
vobis, id est talibus, quales discipuli Christi.

9. Et negligentia exprobratio v. 24.  
ubi per antithesin respectu status prioris  
collatio: hætenus non petistis quicquam  
in nomine meo. Non quasi plane non orã-  
rint, vel ipsam precandi modum ignorarint  
penitus, quem tamen edodit Marc. 6, 9. sed  
quod partim non ita explicitè & simpliciter,  
dum in typis denotatus tantum. Deinde quia  
presente Christo preces non erant adeò se-  
rie & ferventes. 3. quia non intellexerunt pla-  
nè & plenè mediatorium Christi officium,  
dum nondum passione & morte genus huma-  
num erat reconciliatum, nondum ingressus in  
cœlum. Ut discamus quantã cum fiducia in  
precibus nostris modo ad thronum gratia ac-  
cedere possimus Heb. 4, 16. postquam Christus  
unicã oblatione perfectos effecit in perpetuum  
eos, qui sanctificantur Ebr. 10, 14. ac peracto  
in cruce sacrificio in ipsum cœlum ingressus  
est, ut appareat pro nobis Act. 9, 14. Et sa-  
nè hic orandi modus prisce omninò fuit igno-  
tus, ut quidem vult Cyrill. l. 11. in Joh. c. 7.



nusquam enim invenitur preceptum populo  
 Israël ut dicerent Pater noster, habet August.  
 l. i. de serm. Domini in monte. Quamvis  
 negari nec possit nec debeat pios etiam in V. T.  
 propter promissum Messiam sese exaudiri pe-  
 tuisse, neq; ullo unquam tempore ulli hominum  
 Dei gratia & precum exauditio obtingit, ni-  
 si in Christo Mediatore, in quo tota Patris  
 eudoxia recumbit.

10. Tum status presentis denotatio,  
 & ad preces exhortatio, ubi mandatum;  
 petite. Continetur quippe hic ipsa exauditio-  
 nis promissio. Quibus enim exauditio precum  
 promittitur, hi etiam ad petendum obligantur.  
 Ideoq; Christus id mandatum disertè exprime-  
 re voluit, ut non sit in arbitrio nostro, an veli-  
 mus orare, an secus, sed in divino consistat præ-  
 cepto: ut & aliàs Psal. 51. v. 15. Matth. 7. v. 7.  
 Jacob. 1, 6. mandatur. Ut discamus natura no-  
 stræ corruptionem, quæ non expendit utilita-  
 tem precum & necessitatis nostræ exaggeratio-  
 nem, propter quam est petendum. Et licet Deus  
 norit, quibus indigeamus Matth. 6, 22. tamen  
 orandum est, inquit Chrysoft. Homil. 29. in  
 Johan. non ut doceas Deum, sed 1. ut humili-  
 eris coram Deo; ut 2. peccatorum tuorum sæpe  
 recorderis. Et Hieron. inquit in c. 6. Matthei,



non narratores sumus orantes, sed rogatores, aliud enim est narrare ignorantibus, aliud scientibus perscrutari, in illo iudicium est, hic obsequium, inibi fideliter indicamus, hic miserabiliter obsecramus.

11. Et effectum, ratione impetrationis: & accipietis. Antea promissit  $\delta\acute{o}\sigma\iota\upsilon$ , dabo vobis, modo exprimit  $\lambda\eta\psi\iota\upsilon$ . Interque duo perpetua est relatio. Ut discamus Deum semper promptum esse ad dandum, nos vero non semper capaces ad accipiendum, saepius ipsimet impedimentum obijcimus, quo minus ea, quae petimus à Deo nobis dentur, etsi non ad, quod petimus, tamen id, quod utilius Bernh. in meditatione c. 6. Unde definitè dicit, accipietis. Ergò bona temporalia sunt cum conditione, spiritualia absq; conditione petenda: Interea quidem etiam corporalia sine conditione petita fuerunt, ut Josua solis stationem, Elias pluviam, ignem; sed ipsi peculiare vocationes & singularia dona habuerunt, & ex spiritu Heroico talia petierunt.

12. Et respectu exhortationis: ut gaudium vestrum sit perfectum. Ubi vocabulum  $\iota\upsilon\alpha$  ut  $\epsilon\kappa\epsilon\lambda\iota\upsilon\kappa\omega\varsigma$  non  $\epsilon\iota\delta\iota\kappa\omega\varsigma$  intelligendum, respectu acceptionis quatenus petentes accipiunt gaudium. Adjicit ergò Christus hoc membrum ut utilitatem & fructum exprimat



primat, quando in nomine eius patrem cœle-  
 stem petimus. Neq<sub>3</sub> obstat, quod non in hac  
 vitâ sit perfectum gaudium, siquidem in aliis  
 locis piis ita viventibus adscribitur tale Joh.  
 13, 52. Rom. 5, 13. 1. Joh. 1. 4. Et dicitur  
 perfectum gaudium, quia profectò non carnale  
 sed spirituale gaudium est: quando tantum  
 erit, inquit Augustinus tract. 102. in Joh. ut  
 aliquid ei jam non sit addendum, procul du-  
 bio tunc erit plenum. Simulq<sub>3</sub> respicit Chri-  
 stus ad precedentem gaudii promissionem, que  
 implebitur, quatenus gaudii spiritualis incre-  
 menta sentimus, uti Syrus interpretatur: quan-  
 do enim Apostoli per preces in nomine Christi  
 quicquid petierunt, optimè petierunt. Et  
 quemadmodum Christus in spiritu exultavit,  
 quando gratias Patri egit Luc. 10, 21. ita etiam  
 pii quando orant replentur gaudio spiritus san-  
 cti Act. 4, 31. unde inquit Bernh. serm. 32. in  
 Johann. quoties me oratio, quem penè despe-  
 rantem primo reddiderat, efficit letantem &  
 gaudio exultantem? Deniq<sub>3</sub> etiam respicit ad  
 æternum gaudium, unde August. in manuali  
 in Johann. c. 36. Oro te Deus da mihi, ut  
 te cognoscam, te amem, ut gaudeam in te, &  
 si non possum in hac vita plenè, vel proficiam,  
 de die in diem usq<sub>3</sub> veniat istud ad plenum.  
 Proficiat his in me notitia tui, ut ibi fiat plena,  
 cres-



*crescat in me hic amor tuus, ut ibi sit plenus; ut hic gaudium meum sit in spe magnum & inibi in re plenum.*

13. Partim est Salvatoris coram discipulis commendatio, respectu sui, ubi de futuro habetur Spiritus Sancti pollicitatio. Et est ejusdem manifesta declaratio v. 25. in quo de praeterito, quoad materiam. Hæc, Per que non omnia intelliguntur, que toto ministerii sui tempore Christus Apostolis proposuerat, neq; tantum que in similitudine parturientis dicta fuerant, sed ea, que in totâ hâc valedictoria concione de suo ad Patrem abitu, hoc est, de sua passione, morte, resurrectione & ascensione discipulorumq; persecutione docuerat, uti etiam sumitur Joh. 14, 25. Joh. 15, 11. Joh. 16, 1, 4, 6, 33.

14. Quoad formam: Per proverbialia locutus sum vobis. Græca vox apud alios Evangelistas non occurrit, & tantum bis apud Johannem usurpatur. Et denotat idem quod παροιμιώδην apud alios, significatq; idem ac proverbium non similitudinem tantum, uti & apud profanos usurpatur Athenæ lib. 10. Et Petrus 2. Petri. 2, 22. Congruitq; cum scopo Christi, uti patet ex Apostolorum confessione dum confitentur se non intelligere Joh. 16, 18. Deinde



inde ex oppositione sequentium, & deniq; ex collatione aliorum locorum. Non quasi res ipsa fuerint obscura, de quibus locutus fuerat, sed quia mysticè & figuratè sunt intelligenda, quatenus Apostolis visa fuerant talia ex accidente. Nam sacra scriptura in se est clara & perspicua Ps. 19, 9. est lucerna Ps. 119, 18. est lux Prov. 6, 23.

15. De futuro, quoad circumstantiam: veniet hora. Ubi hora per Synecdochen speciei sumitur pro genere: nempe post resurrectionem, & Spiritus Sancti effusionem, uti habet Theophylactus in Joh. non quidem apertè dixit, quod sit hoc tempus, sed nos ita putamus, illud forsàn significari in quo spiritum ipsius accepimus, habet Cyrillus lib. II. in Joh. c. 8. aut futurum illum diem, quando hujus mundi figura transibit.

16. Quoad rem ipsam per remotionem: cum non amplius in proverbiiis loquor vobis. Vti antea. ubi cum sermo audiebatur non facile ab audientibus capiebatur; & ubi tantum vobis videbantur mera enigmata. Promittitq; discipulis, quibus videbantur talia, clariora.

17. Et per positionem, quoad modum: sed palam. *Sen εν παρηγοια,* & libertate loquen-



loquendi, qua omnia dicuntur, etiam ea, quæ tacenda videri possint, hoc est aperte perspicue, uti & usurpatur Marc. 8, 32. Joh. 7, 13. uti & Demosthenes in Philip. 2. usurpat & Syrus reddidit.

18. Quoad objectum reale respectu Dei: de Patre meo. *Qua voce respicit ad prædictionem de suo ad Patrem abitu, quem Apostoli nondum intelligebant, id est de essentia & voluntate Patris mei cœlestis, de regno spirituali & eterno, uti factum est in apparitione Christi post resurrectionem Luc. 24, 45. & visibili spiritus sancti effusione, ubi magnalia Dei secuta fuerunt.*

19. Et personale: annunciabo vobis. *Quemadmodum factum est Act. 1, 3. post resurrectionem. Et sic interpretatur Chrysoft. Homil. 78. in Joh. Ut discamus cognitionem in hac vitâ habere suos gradus, in altera vita plenariam perfectionem, uti monet Cyrillus lib. II. c. 8. in Joh. c. 8. dum inquit: quemadmodum in nocte serena stellarum splendor & pulcritudo apparet, sole autem oriente, particularis splendor iste stellarum evacuatur, eodem modo cognitio ista præsens eo tempore desinet, cum perfecta cognoscendi lux nobis infusa fuerit.*

29. Et



20. Et est Spiritus sancti operatio v. 26. in quo est prænunciatio, ubi tempus: in illo die. *Quibus verbis respicit ad versum 24. quod post resurrectionis tempus illud futurum, ubi preces futura magis serie & ferventes.*

21. Et effectus: in nomine meo petetis. *Peracto redemptionis opere re ipsa intelligetis me non esse terrenum regem, sed Deum ac hominum mediatorem. Ut discamus uberiores divinarum mysteriorum cognitionem, non nisi precibus impetrari Jacob. 1, 5.*

22. Et confirmatio, per negationem: & non dico vobis, quod ego sum rogaturus Patrem pro vobis. *Non quasi non interpellat pro nobis: & quasi intelligendum de intercessione mediatrix ante reconciliationem, sed de applicatoria post reconciliationem, quia auditus ipsis erat patefactus. Ne discipuli cogitarent propter peccata patrem ipsis iratum nolle preces exaudire, sed esse patrem placatum. Et orat Christus intercessione non humilitatis, sed charitatis; non humiliatione, sed dilectione, habet Chrysost. Homil. 18. ad Rom.*

23. Respectu præsentis, ubi paterni amoris contestatio v. 27. In quo narratio; ab accidente relato: ipse Pater amat vos.

*Quæ*



Quasi dicat, non mihi soli, sed & Patri meo  
 cari & accepti estis. Ut certi esse possent, se  
 à Deo patre amari. Vbi pronomen αὐτός em-  
 phaticum est, dum innuit, spontè & ultrò Pa-  
 trem amare. Nō autem intelliguntur soli Apo-  
 stoli, sed quod Christus discipulis dixit, hoc o-  
 mnibus dixit, quia omnes Christiani, dilecti in  
 dilecto Eph. 1, 6. Joh. 1, 12.

24. Et à causa impulsiva, quæ est tūm  
 mutua dilectio; quia vos me amastis. Non  
 quasi amore suo erga Christum amorem DEI  
 promeruerint, ipse enim prior dilexit 1. Joh.  
 4, 10. Etiam cum adhuc inimici essemus  
 Rom. 5, 6. Neq; hic causa meritoria intelli-  
 gitur, sed impulsiva, quæ petita est ab effectu,  
 quod notat, 1. Scopus Christi, qui fuit non Apo-  
 stolorū merita extollere, sed de gratuito Pa-  
 tris cœlestis amore ipsos confirmare; & ut ex fi-  
 de per dilectionem efficacem certi forent, se esse  
 Patri cœlesti reconciliatos: neq; enim particula  
 ὅτι usurpatur αἰτιολογικῶς sed σημεῖον  
 symbolice & συλλογικῶς, 2. Locus parallelus  
 Luc. 7, 47. æquè ostendit, quia peccata remis-  
 sa multa, ergò multum dilexit, ab effectu ad  
 causam argumentari Christum, 3. Textus Sy-  
 riacus, in quo non habetur αἰτιολογικόν Ger.  
 Sed litera præfixa dolath, quæ relativo ascher  
 æquè



ascher equipollet. Vnde querit Aug. 11. 102.  
 in Joh. ideonè amat ille, quia nos amamus:  
 an potius quia ille amat, ideò nos amamus?  
 Ex Epistola sua Evangelista respondet 1. Joh.  
 4, 10. nos diligimus, quia prior dilexit nos.  
 Hinc ergo factum est ut diligeremus, quia di-  
 lecti sumus. Prorsus donum DEI est diligere  
 DEVM, quoniam ipse ut diligeretur, dedit,  
 qui non dilectus dilexit. Displacentes amati  
 sumus, ut esset in nobis unde placeremus.

25. Tum verè fidei testificatio:  
 Et credidistis quod à Deo exiverim. Hoc  
 est, quia fidem Evangelio habuistis, quod ego  
 verus & cœlestis Patris sim Filius, ex ipsius es-  
 sentiâ ab eterno genitus, quodq; per assumptio-  
 nem carnis in mundum venerim, ut volunta-  
 tem ipsius de salute humani generis annuncia-  
 rem, & pro peccatis totius mundi me ipsum in  
 sacrificium offerrem, quia pater speciali amore  
 neminem amplectitur, nisi eos, quos per fidem  
 in Christum in dilectos suos filios adoptavit  
 Eph. 1, 6. Quia Christus est fundamentum  
 divini amoris, mediator inter Deum ac homi-  
 nes; ac proinde beneficiorum, quæ per preces  
 impetramus, autor unicus Matth. 3, 17. Unde  
 ab amore & benevolentia Patris cœlestis ex-  
 clusi sunt omnes, qui Christum non diligunt.

Ddd

nec



nec in eum credunt, Cyrill. lib. ii. inquit c. 9. si Dei amici sunt qui à Patre missum crediderunt. Et si amantes Filium Pater exaudit, eorū, qui non amant, orationes, nequaquam suscipiet. Christus ergo non dicit: Pater amat vos, quia ipsum amastis, sed quia me amastis. Ergo pater non potest verè diligi nisi in Filio, ac proinde qui Filium non diligit, non diligitur à Patre, sed est anathema 1. Cor. 16, 22. Ut discamus Christum amare, Et in eum credere, si velimus amari Et exaudiri.

26. Et patris per Christum reconciliatio v. 28. desumpta à contrario statu, in quo partim de exinanitione, quoad progressum sive terminum à quo: exivi à Patre, hoc est assumpsi humanam naturam. Missus in cœlesti gloria, ut ostendat proprium Et adequatum fidei objectum esse Christum quoad totam personam totumq; officium: simulq; innuitur eius aternitas, uti vocatur egressio Mich. 5, 2. Prov. 8, 23. Sicut Et Cyrillus interpretatur Et Hilar. de Trinit. Primario tamē status exinanitionis confirmatur ex vi oppositionis, uti enim mundum reliquit Et ad Patrem abiit, ita etiam abiit à Patre Et in mundum venit. Sicut Et Prosper sententia 328. consentit.

27. Quoad



27. Quoad terminum ad quem: & veni in mundum. Ratione officij sacerdotalis, non enim sui causa, sed mundi, ut reconciliaret eundem, totius mundi Redemptor & Salvator Joh. 1. 9.

28. Respectu status exaltationis, & iterum terminus à quo: iterum relinquo mundum: Non privatione totalis presentia, sed secundum mundanam conversationem & visibilitatem, ut potius viam denotet: includunt enim hæc, quæ dicit, quandam precedentium analogiam. Relinquit igitur Christus mundum non per humane nature depositionem, unde non dicit, relinquo carnem; sed reliquit mundum, per ascensionem, quia visibiliter in conspectu Apostolorum ad cælum ascendit; per formæ servilis depositionem & legationis suæ renunciationem: unde paulo post in precibus suis dicit Joh. 17. 4. consummavi opus, quod dedisti mihi. Reliquit ergo mundum corporali discessione, inquit August. tract. 102. in Joh. perrexit ad Patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit presentia gubernatione.

29. Et quoad regressum, respectu termini ad quem: & vado ad Patrem. Per gloriosam scil. exaltationem, & ad dextram

Ddd 2

Patris



Parris collocationem, quam Luc. 24, 27. vocat suam in gloriam ingressum. Ut miranda & nervosa brevitate complectantur haec verba omnia, quaecumq; ad salutarem cognitionem suae personae, sui officij, suorum beneficiorum pertinent. Ut discamus etiam per viam charitatis, uti ille de caelo descendit, per viam obedientiae, uti obediens factus est, incedere, ut habeamus viam gloriae. Illuc ejus vestigia totomentis nisi sectemur, ait Beda super Evang.

30. Respectu discipulorum, & est perspicuitatis Christi in docendo commendatio v. 29. In quo causa: dicunt ei discipuli ejus. Antea enim erant in aere, & ex abitione Christi concepto stupore attoniti, & non interrogabant, Christum quò abiturus Job. 16, 5. sed mussitabant inter sese. Nunc verò animū demissum ita erigunt, quia Christus amplissimas promissiones de letitia in aere illum secutura, de clariore intelligentia, de precum efficacia ipsis dederat. 2. quia Christus de amore Parris caelestis ipsos confirmaverat. Unde inquit Chrysostr. hom. 78. in Joh. hoc maxime ipsis spem dedit quod Patri futuros amicos pollicetur.

31. Forma, ubi praemittitur particula attentionis, Ecce. Ad demonstrandam asse-

vera-



verationis certitudinem, quia discipuli per  
eam significari cupiunt, se verè ac certò affir-  
mare, quod verba Christi probè intelligant.

32. Et particula temporis: nunc, qua bis  
iteratur cū verbis presentis temporis, ut oppo-  
natur verbis prateriti & futuri temporis, qui-  
bus Christus in promissione v. 25. usus fuerat.

33. Et exponitur, per contraria positi-  
vè: apertè loqueris. In *παρρησία*, quam vo-  
cem Syrus interpres, mutatis tantum caracte-  
ribus quidem retinuit Eph. 3, 12. & 6, 20.  
1. Theß. 2, 2. sed hoc in loco per manifestè &  
aperte explicat. Ut innuat quod simplici, pla-  
no, perspicuo, & omnibus intelligibili sermonis  
genere Christus utatur.

34. Et negativè: nec proverbium ul-  
lum dicis. Quod Syrus interpretatur per dis-  
junctum, ne unum quidem proverbium dicens  
tu es. Non quasi in se fuerint obscura Christi  
verba, sed prout non assecuti fuerant: parvuli  
enim erant & non spiritualiter dijudicabant,  
que de rebus non ad corpus, sed ad spiritum  
pertinentibus audiebant, habet August. tract.  
103. in Joh.

35. Et scientiæ testificatio; nunc sci-  
mus quod scis omnia. Id est, uti hoc Chry-  
som. 78. in Joh. explicat, gratias agimus,

Ddd 3

quod



quod jam per fidem & experientiam cognitum habeamus, te scire omnia. Neq; enim hæc trās-euntes aut negligenter commemoranda, sed so-lerter invigilandum, ut non verba tantum & opera nostra, sed ipsa etiam cordium secreta, divinis aspectibus digna reddamus.

36. Et sigillatim, per negationem: nec opus est tibi, ut quis te interroget. Ex eo enim dicunt se cognoscere quod Christus sciat, omnia, quia ipsi non sit opus ut quis eum inter-roget. Quidam codices legunt & ἡ ἐρώτησις, sed inusitata & minus congrua, quia addendum fuisset non opus est nobis, quod tamen imma-nem includeret arrogantiam; sed additum est tibi, uti etiam Syrus emphaticè reddit; non o-pus habes tu, ut quis te interroget. Respiciunt quippè ad v. 19. quia Christus interrogationem ipsorum prevenerat, eoque ipso manifestum fe-cerat, se occultas eorum cogitationes cognitatas habere.

37. Et positivè, respectu excellentiæ: per hoc credimus quod à Deo exivisti. Id est quod questionem nostram tuo responso an-tevertisti, credimus, quod sis verus Messias, Dei Filius, mundi Salvator. Non quod antea non crediderint, sed quod ad hoc credendum, sufficienter eos potuisset id permovere. Etiam si  
nullo



nullo alio permoverentur argumento. Ut discamus fidem non esse per ignorantiam, sed per notitiam definiendam, scimus enim, & credimus inquit Apostoli.

---

NOTÆ.

I.


**S**I quid petieritis] Considera quanto sperè Christus exoptet preces hominis; ut discas orare frequenter.

II.

**P**ETITE & accipietis] Considera petendum esse à Deo; ut discas non efflagitare jure, sed petere submissè.

III.

**P**ATER amat vos] Considera amari hominem, qui amat Christum; ut discas nihil magis estimare & amare quàm Redemptorem tuum.



CASUS.

AN licitum omnia petere?

**V**idetur: Quia 1. Christus inquit: quæcunq; petieritis Joh. 16. 23.

2. Quod non prohibitum, videtur concessum 1. 28. §. 2. ff. ex quibus causis majores.

3. 18



3. In stipulationem omnes res veniunt l. 51. ff. de stipulat. Ergo & in petitionem.

Contra 1. Hic habetur in nomine meo quaecunq; petieritis patrem meum Joh. 16, 23. At in nomine Christi est quod mandavit, qualia sunt in oratione Dominica.

2. Quaecunq; contra leges, ea pro non factis habentur l. 5. C. de LL.

3. Paria sunt non facere vel minis legitime l. quoties ff. qui satis dare coguntur.

4. Inde & titulus Codicis de precibus Imperatori offerendis & de quibus supplicare liceat vel non, item si contra jus vel utilitatem publicam.

Ad contraria 1. non petitur in nomine magistri quicquid petimus prater regulam ipsius magisterij, habet Aug. tr. 37. in Joh. & quicquid adversus utilitatem salutis non petimus in nomine Salvatoris, habet idem. Unde additur 1. Joh. 5, 14. quicquid petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.

Ad 2. nisi sit contra leges: generaliter enim que facta ledunt pietatem, & contra bonos mores sunt, nec facere nos posse credendum est l. 15. ff. de conditionibus institut.

3. Si facta possibilia. Nam impossibilium nulla est obligatio l. 183. ff. de R. J. l. 123. §. ff. V. O.





**O**rbita plana patet, si quis velit ire preca-  
tum.

Ut petat in Christi nomine cuncta patrem,  
Iri cuncta datum si quis modo taliter oret:

Id iuramento Christus aduq; probat,

Quid, vos discipuli? petiistis an haecenus? Ergo

Fiat! Tunc vobis gaudia plena dabit.

Haecenus ut vobis proverbialia plura locutus

Post de patre meo nuncia clara feram.

Nomine quando meo quodcumq; petetis: in illo

Tempore pro vobis nolo rogare Patrem.

Vos amat ipse Pater, quia me constantiter amastis,

Credentes quod me miserit ipse Pater.

Exivi de patre, sub orbis climata veni:

Hec linquo, vado rursus aduq; Patrem.

Dicunt discipuli loqueris proverbialia nulla,

Sed quae dicis, & haec dicis aperta satis.

Nunc scim qd scis simul omnia, quarere nemo

Te velit, a patre te credimus esse Deo:

Hec quisquis non credit fallitur, ille nec orat

Recte, nec precibus quod cupit, ipse capit.

Talia proponit GLÄSELIUS istaq; pergat!

Ac erit ad caelos orbita plana via.

ita censer

GUEINZIUS.



ΑΔΑΜ ΓΛΑΙΣΕΛΙΟΣ.

*ἀναγκασματιζόμενος*

ΔΟΣ ΜΕΓΑΛΑ. ΛΙΣΑΙ.

ΔΟΣ ΜΕΓΑΛ' ἰμπερόθυμε Θεός, πολλοὶ  
μὲν ἀναΐδεις

Ἀπλοϊκῶς λέσσω, ΔΟΣ, Φασί, ΔΟΣ ΜΕ-  
ΓΑΛΑ.

Ὦδε δὲ ἄλλως φωνήσας ἠγήσατο Χρῆστος,  
Τέννομα γ' κ' σ' ταῦτα γνέωθ' ἐθέλεις:

ΓΛΑΙΣΕΛΙΟΣ κατέδειξε, λέγων, κ' τέννομα  
Χρῆστος

ΛΙΣΑΙ, κ' δώσθ' πάντα Θεός ΜΕΓΑΛΑ.

*Erhardus Weigelius*  
*W. P.*

**F**rangitur ut facili vitrum, sic vita pieorum  
Frangitur, at fracta colligit ipse Deus.  
Haurit namq; preces ardenti pectore fusas,  
Nemine & in Christi sint rata cuncta jubet  
GLASELIUS docet id: sed pergat! in arce Ton-  
nantis

Non homo vitreus aut aureus ipseus erit.

*sic luabat*

*ASCANIUS BAKIUS*  
*Magdeb. Saxo.*



02 A 572  
(1/2)

ULB Halle 3  
003 808 483



10 17





EVANG.


CHRIST.

HALLS

Q2 C








B.I.G.

Farbkarte #13

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------

M  
**ARUM**  
*Octava*  
**UEINZIO**  
*nsis*  
**SELIO.**  
*lco*  
*cunditatis*  
*. III.*  
  
**NUM**  
*chioris Oel-*

3 =

